



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Consideratio prima, Quam peccatum in seipso sit abominabile

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

efficias, ut inde veros affectus, firmaque proposita eliciam peccata super omnia execrandi ac fugiendi.

*Abdicatio
distractio-
num.*

*Invocatio
B.V.*

*Angeli
nostri
president
orationi-
bus: Dia-
boli verò
nil eque
satagunt,
quàm ut
nos ab illis
impediant
aut in illis
distrahāt.*

Renuncio omnibus distractionibus, tum multibus, aliisque impedimentis, quæ supervenire mihi poterunt, coram te protestans illis nullum unquam præbere me velle consensum, idcirco ex nunc illa ab dico. Virgo ter sancta terque gloriosa, tuo mihi interventu assistas, tuque mihi, Angele mi tutelaris, tuis sanctis illuminationibus ad sis, atque inimicos perfectionis meæ, ne me in divino hocce exercitio interturbent, cohibeas.

CONSIDERATIO PRIMA.

Quàm peccatum in seipso sit abominabile.

*Salvator
noster di-
cebat de
Iuda:
bonum e-
rat ei, si
natus non
fuiſſet ho-
mo ille.*

Matt. 26.

24.

AGe igitur, anima mea, rem aggrediamur, videamusque atque attentè coram illo, quem toties offendimus, consideremus quid sit peccatum. Dic, ô infame peccatum, quid es in homine, nisi terribile monstrum, horror omnium horro- rum, atque abominatio omnium abominationum? Tu es calamitatum omnium caput omninò pejus nihilo, quia satius multò foret nunquam fuisse in numero creaturarum, quam te admisisse. Prò! Quam horribilem in animam tu inducis deformitatem? Etenim ea, quæ est imago Dei ac sanctuarium, in quo habitare divinæ suæ complacet Majestati, illa inquam imaginem Diaboli gestare incipit, atque in cubile draconum aspi-

aspidumque convertitur, ubi te semel admit-
tit.

Ob oculos mihi propono quidquid abo-
minationis est in mundo, & peccati horrorem
semper esse majorem deprehendo. Etenim
ipsum coram Deo horribilius est quovis bufo-
ne, serpente, ac quidquid est corruptelæ super
terram. Tuque ô anima mea, mox, ubi infame
hocce monstrum intra tuam conscientiam
admisisti, in oculis Dei magis horrida evasisti,
quam in oculis tuis horridissimus esse queat
bufo aut draco: Imò æque ac ipse Diabolus
effecta fuisti horribilis, quia hunc non ignis in-
ferni, sed peccatum, quod commisit, horribi-
lem adeo efficit. Cumque idcirco æque atque
ipse horrendum hocce monstrum admisisti,
eundem quoque cum ipso horrorem contra-
xisti. Dic, quæso, an non horrore ac timore
confecta interires, si in tua horribili deformati-
tate Diabolum videres? Cur ergo tui ipsius
horrore non interimeris? Causa est, quia tu-
ammet infelicitatem non agnoscis. O quam
horrendum tibi foret, si inter medios serpen-
tes, aut in fossa bufonibus plena dormire te
oporteret? At horribilius longe est, te videre
peccatis circumdatam, omninoque onustam.
Tanta demum abominatio est vel unico infici
peccato mortali, ut si ipsum videre posses, me-
tu interires potius omnibus illis, qui ad intui-
tum horrendi cujuslibet spectri terrore con-
cussi interierunt, quia etiam in ipso inferno,
ne dum in hoc mundo, peccato terribilius
nihil est.

Affe-

De
ratione